

sterii Lirinensis Abbas, dein Episcopus Rejenfis factus, Epistolam ad quendam *Lucidum* Presbyterum scripsit, & duos libros de Gratia & libero Arbitrio, in quibus sub specioso obrentu refellendi quorundam Prædestinatianorum errores, doctrinam S. Augustini de Gratia & Prædestinatione data Opera impugnat. Qua de causa anno DXX. *Hormisdas* Papa a *Possessore*, uno ex his Episcopis Africanis a *Trasimundo* Rege in exilium missis, consultus quid de *Fausti* libris sentiendum esset, respondit, libros *Fausti* non recipi in Ecclesia Catholica, sed legenda esse postrema volumina S. Augustini, e quibus velut e purissimis fontibus, doctrina Catholica de libero arbitrio & gratia Dei essent haurienda. Immerito igitur *Sirmondus* in sua *Historia Prædestiniana* prolixam concinnavit Apologiam pro *Fausto*, cujus libri fuerunt etiam damnati a *Gelasio* Papa anno DCCCXIV. *Gennadius*, non Episcopus, ut quidam putant, sed Presbyter tantum Massiliensis, texuit Catalogum Illustrum Scriptorum, qui eum præcesserant. Edidit etiam librum de *Ecclesiasticis Dogmatibus*, qui olim falso tribuebatur S. Augustino. Subiunxit quoque *Gennadius* tanquam Appendices ad librum S. Augustini de *Heresibus*, quatuor Hæreses, nempe *Prædestinarianam*, *Nestorianam*, *Eutychianam*, & *Timotheanam*, ut docet *Hincmarus* Remensis Episcopus in lib. de *Prædestinatione* cap. 1. Denique, S. *Hilarius* Episcopus Arelatensis, qui, ut in superioribus Colloquiis jam observavimus, gravem cum S. Leone Papa contentionem habuit, Semipelagianorum doctrinæ adhæsit, quam tamen propediem moriturus penitus abdicavit, ut colligit *Quesnellus* ex ejus Vita in Notis ad Opera S. Leonis tom. II. pag. 913. S. *Hilarius* Arelatensem Episcopum, eum esse, qui ad S. Augustinum Epistolam contra Semipelagianos scripsit, autumavit *Baronius*. At in hoc hallucinatum fuisse Eminentissimum illum Annalium Parentem fatentur omnes periti Critici, tum quia, ut mox dixi, S. *Hilarius* Arelatensis Episcopus Semipelagianorum doctrinæ ad stipulatus est, ac subinde abhorret ab omni veri specie, quod ad S. Augustinum contra Semipelagianos scripsit; tum quia etiam *Hilarius* ille, qui adversus Semipelagianos dedit ad S. Augustinum Epistolam, se tantum ex ordine Laicorum fuisse in fine suæ Epistolæ quodam modo indicat, quando profitetur, se parem non esse auctoritati Adversariorum, idest, Semipelagianorum, a quibus multum & vitæ meritis, & summo Sacerdotii honore superetur. Appellat etiam S. Augustinum Patrem, a quo vicissim in lib. de *Prædestinatione Sanctorum* cap. 1. *filium* nuncupatur. *Hilarius* autem non appellasset S. Augustinum *filium*, si *Hilarius*, qui ad ipsum contra Semipelagianos scripsit, fuisset revera Episcopus. Hic velim obiter observes, S. *Honoratum*, qui postea fuit Episcopus Arelatensis, fundasse in quinto Ecclesiæ sæculo Monasterium Lirinense, in quo ejus tempore, præter *Vincentium Lirinensem*, *Faustum*, & *Hilarium*, de quibus mox sermonem habuimus, floruerunt *Maximus*, *Lupus*, *Eucherius*, qui fuit Episcopus Lugdunensis, & Operum de *solitudine*,

& contemptu mundi Scriptor egregius. Idem *Cœnobium* Lirinense illustrarunt alii celeberrimi Monachi, qui deinde ad Episcopales Insulas in diversis Galliarum Ecclesiis assumpti sunt. Extat etiamnum Lirinense Monasterium ædificatum in Lerina Insula, quæ Provinciæ adjacet adversus Antipolim.

D. Hi sunt igitur præcipui Scriptores, qui in quinto Ecclesiæ sæculo floruerunt?

M. Fuerunt alii insignes Scriptores, quos hic breviter indicasse sufficiet. S. *Leo* Papa I. re & cognomine Magnus, Ecclesiæ multum splendoris contulit eruditione, pietate, eloquentia, multique editis lucubrationibus, quas *Quesnellus* cum variis MSS. contulit, ejus Epistolas ordine Chronologico digessit, varias, quæ nunquam lucem viderant, e tenebris, eruit, ac quotquot aliorum Epistolæ ad S. Leonem datæ sunt, ejusdem literis inseruit. Quædam tamen Opera, ut mox observavimus, *Quesnellus* attribuit S. Leoni, quæ alii periti Critici probabilis S. Prospero adjudicant. (a) S. *Cyrillus* Alexandrinus Antistes, de quo plura in præcedentibus Colloquiis diximus, rebus pro Ecclesiæ gestis præsertim contra Nestorii Hæresim in quinto sæculo insurgentem, Scriptorumque multitudine & splendore clarissimus fuit. *Socrates*, & *Sozomenus* suos de Historia Ecclesiastica libros eodem tempore scripserunt, seu potius Historiam Ecclesiasticam Eusebii continuarunt usque ad annum DCCCXXXIX. *Theodoretus* Cyri in Palæstina Episcopus, præter Historiam Ecclesiasticam, quam adornavit, & anno DCCCXXXIX. terminavit, edidit etiam Tractatus & eruditos Commentarios in Scripturam Sacram. S. *Cbrysologus* Episcopus Ravennæ in Sermionibus, seu Homiliis ad populum habendis magnum sibi nomen peperit. Quo in genere etiam excelluerunt *Maximus* Taurinensis Episcopus, *Valerianus* Cimmeleensis Præsul, & *Basilus* Episcopus Seleuciensis. Contra Pelagianos, & Nestorianos *Marius Mercator* multa edidit Opera, quæ anno MDCLXXIII. *Joannes Garnerius* Soc. Jesu publici juris fecit, addiditque Annotationes & Dissertationes amplissimas, quæ *Marii Mercatoris* scriptis magnam lucem afferunt. Alteram, sed accuratorem eorumdem *Marii Mercatoris* Operum Editionem ex Collatione Codicis Bellovacensis cum Vaticano, in quibus solis antiqui hujusce Scriptoris Opera habentur, concinnavit doctissimus *Baluzius*. Denique, in quinto Ecclesiæ sæculo floruerunt *Salvianus* Presbyter Massiliensis auctor elegantissimi Tractatus de *Providentia*, & quatuor librorum de *Eleemosyna*: *Arnobius* junior auctor Commentarii in Psalmos: *Claudius Mamertus*, *Sidonius Apollinaris* Episcopus Claromontanus insignis Poeta, *Gelasius Cyzicenus* Historiæ Concilii Nicæni compilator: *Vitor* Vitenis Episcopus, qui tres libros de *Vandalica persecutione* scripsit. Sunt multi periti Critici, qui asserunt, libros *De Divinis Nominibus*, de *Cælesti*, & de *Ecclesiastica Hierarchia*, qui S. Dionysii Areopagitæ nomine insignantur, sub finem tantum quinti Ecclesiæ sæculi ab incerto Scriptor editos fuisse, eosque dumtaxat anno DCCCXIII. in Collatione Constantinopolitana ab

Aceph-

Acephalis, seu *Severianis* Hæreticis adversus Orthodoxos primum sub Sancti Dionysii Areopagitæ nomine fuisse citatos. Sed de celebrioribus quinti sæculi Scriptoribus, eorumque Operibus hæc pauca prælibasse, ac levi brachio attingisse sufficiat.

(a) S. Leonis Magni opera nemo melius, & diligentius illustravit supra Ballerinos fratres Veronenses, qui præter omnes *Quesnelli* accessiones novas etiam Epistolas S. Leonis adjecerunt, e MSS. Codicibus erutas. Collationem etiam omnium eorumdem operum instituerunt novam ad Codices MSS. vetustissimos Vaticanos, Veronenses, & novis insuper adnotationibus ac perpetuis, lectiones optimas vindicarunt. Nec desunt additamenta alia, quæ P. *Cacciarus* in sua recenti editione eorumdem operum S. Leonis typis Romanis producta e Vaticanis Codicibus indagaverat. Nec prætereunda sunt illa laudatæ animadversiones eorum & refutationes ad dissertationes Leonianas *Quesnelli*, quas tamen ibidem integras repræsentarunt. Sed laudem omnem superat tertium editionis hujusce volumen, in quo exhibent *Codicem Candianum Ecclesiæ Romanæ*, sicut *Quesnellus* inscribere placuit, quamquam nullam publicam auctoritatem unquam obtinuisse, *Ballerini* demonstrant. Hanc igitur Collectionem ad Vaticanos Veronenses, Barberinos, & alios bene multos recenserunt, suæque integritati restituerunt; fontes detegunt, unde singula derivata sunt, eaque notis illustrant. Præmittunt toti volumini dissertationem de antiquis Canonum collectionibus tum editis cum manuscriptis, earumque auctoribus summo judicio & eruditione elaboratam, ut nemo huc usque plenius & accuratius hoc argumentum excusserit. Prodiit integrum opus tribus in folio tomis Venetiis typis *Simonis Occhi* an. 1757.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina, & Morali quinti Ecclesiæ sæculi.

D. CUM sub finem Historiæ cujuslibet Ecclesiæ sæculi aliquod specimen illius Doctrinæ, Disciplinae & Moralis exhibere soleas, de his in præsentia edoceri cupio, ut nihil eorum, quæ ad notitiam Historiæ, Doctrinæ, Disciplinae & Morali quinti Ecclesiæ sæculi attinent, intactum prætermittamus. Expone primo igitur quænam fuerit Doctrina quinti Ecclesiæ sæculi?

M. Doctrina Ecclesiæ a Christo Domino, & ab Apostolis tradita cum omnino invariabilis sit, nec ulla, ut sæpe diximus, temporum vicissitudine violari, aut immutari possit; certum apud omnes esse debet, eandem prorsus in quinto Ecclesiæ sæculo obtinuisse doctrinam, quæ in quarto, & in tribus aliis præcedentibus sæculis jugiter viguit. Quia tamen in quinto sæculo, ut in secundo Colloquio in Historiam hujusce sæ-

culi dicebamus, multæ grassatæ sunt Hæreses, Pelagianorum videlicet, Semipelagianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Helvidii, Joviniani & Vigilantii, necesse fuit, ut doctrina fidei ab illis Hæreticis imperita, clarius & uberius a Conciliis, & a Sanctis Patribus explicaretur, novæque consecrarentur fidei formulæ, quibus serpentes errores. facilius a fidelibus præcaveri possent.

In primis, statutum est contra Pelagium, Peccatum Originale ab Adamo in omnes illius posteros propagari, nec quemquam, nisi Christi gratia posse salvari. Secundo, Baptismum ad salutem consequendam parvulis esse omnino necessarium. Tertio, neminem esse bonum suis viribus, nisi participatione ejus, qui solus bonus est. Quarto, quod nisi gratia Dei continuo juvemur, insidias, seu tentationes Diaboli superare haud possumus. Quinto, quod per Christum Servatorem nostrum bene utamur libero arbitrio. Sexto, quod omnia Sanctorum merita sint dona Dei. Septimo, quod omnis sancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo sit. Octavo, quod gratia Dei non solum peccata dimittit, sed etiam adjuvet ne committantur, & præster, ut lex impleatur, non sicut ajebat Pelagius facile, quasi absque gratia Dei difficilium posset impleri. Denique, quod nemo potest mereri gratiam. His Ecclesiæ definitionibus jugulata est Pelagiana Hæresis.

Ventum est postea ad errorem Semipelagianorum, qui licet Peccatum Originale ab Adamo ad omnes illius posteros transfusum fuisse ultro faterentur, prævenientis tamen gratiæ interioris necessitatem ad initium fidei & bonorum operum non admittebant, & perseverantiam finalem in bono singulare Dei donum esse negabant. Contra illos igitur Sancti Patres unanimi consensu docuerunt gratiam prævenientem necessariam esse ad omnes & singulos pietatis actus, etiam ad initium fidei & bonorum operum, insuper & perseverantiam usque in finem esse speciale & magnum Dei donum. In hoc contra Pelagianos & Semipelagianos custodiendo gratiæ Christi deposito, Ecclesiæ imprimis charo, strenue præ cæteris Patribus per viginti & amplius annos adlaboravit S. Augustinus, & omnia, quæ ad medicinalem Christi gratiam spectant, tam dilucide explanavit, tam nervose stabilivit, ut Concilia, quæ post ipsius obitum celebrata fuerunt, sua de quæstionibus judicia, & potissimum de gratia Canones ex Sancti Doctoris sententiis ad verbum formanda senserint. Unde Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Gratia cap. 11. veridice pronuntiavit, S. Augustini de Gratia & Prædestinatione sententias, non esse privatas aliqujus Doctoris opiniones, sed fidem Catholicæ Ecclesiæ dici debere. Mirum igitur esse non debet, si Theologi prædestinationis gratiæ, & gratiæ se ipsa efficacis defensores S. Augustinum Theologiæ principem, Catholici orbis Magistrum, Hæreticorum malleum tantopere venerentur, ejusque inconcussa, tutissimæque doctrinæ indivulsa adhæreant. Extiterunt quidem pro-

dolor! nonnulli æmuli, qui totis viribus, incredibili conatu, vehementique studio laborarunt, ut doctrinam S. Augustini vellicarent, & invenirent, sicut vulgo dici solet, pilum in ovo, nodum in scirpo, scopulos in plano, atomos in Sole, maculas in Cælo, sed ut in superiori Colloquio dicebamus, Cardinalis *Norifus* grassantem hanc maledicentiæ luem, vindictis pro Divo Augustino adornatis, *verum* cauterii unctione cohibuit, & tanti Magistri doctrinam eo clariorem effecit, quo obscuriorem illam reddere, eique erroris notam inurere ignorantia & malignitas satagebant.

Circa Verbi divini Incarnationis mysterium confirmata ac magis explicata fuit in quinto Ecclesiæ sæculo contra Nestorianos, & Eutylichianos constans ac perpetua fidei Catholica doctrina, qua semper, ubique, & ab omnibus creditum est, unicam in Christo esse personam, seu divinam, & duabus constantem naturis divina & humana, quarum proprietates per communicationem idiomatum, ut loquuntur Theologi de Schola, personæ divinæ tribuantur, ita ut non solum veræ sint istæ propositiones: *Jesus Christus est immortalis & impassibilis: Jesus Christus est natus, mortuus, & passus*: sed etiam veræ & Catholice dici debeat: quod *Deus est natus, quod Maria Virgo est mater Dei: Deus passus, & Cruci suffixus est*. Proprietates tamen naturæ humanæ nullo pacto tribui possunt naturæ divinæ, nec versa vice proprietates divinæ naturæ adscribi queunt naturæ humanæ. Inde Hæreticæ sunt istæ propositiones: *Deitas est nata, passa &c.* vel e contra: *Humanitas Christi est immortalis, æterna, impassibilis &c.*

D. Audivi nuperrime a quibusdam viris eruditissimis, hanc propositionem: *Unus de Sancta Trinitate passus est*, erroris damnatam fuisse in Monachis Scythiæ ab *Hormisdæ* Summo Pontifice. Vera igitur esse non potest hæc propositio: *Deus passus est*.

M. Hanc propositionem: *Unus de Trinitate passus est*, nunquam, pace tua dixerim, damnavit *Hormisdæ* Papa, sed tantum improbavit Scythiarum Monachorum temeritatem ac pervicaciam, qui prædictam propositionem definitioni Concilii Chalcedonensis necessario addendam esse incite perrendebant; quasi illius Concilii definitio absque isto loquendi modo manca & mutila esset. Cæterum, hanc propositionem: *Unus de Trinitate passus est*, quæ eundem plane sensum habet ac ista propositio: *Filius Dei passus est in Carne*, recepit & approbavit universa Ecclesia, ut patet ex quinta Synodo generali Can. 4. & 5. & ex Joanne II. Romano Pontifice in Epistola ad *Justinianum* Imperatorem, in qua eum laudat, quod fidem hac propositionem expressam teneat, & *Acemetas* Monachos contra sentientes, condemnat. Sed de hac propositione: *Unus de Trinitate passus est*, plura, auxiliante Deo, dicemus in nostris Colloquiis in sextum Ecclesiæ sæculum, ubi ostendemus, Monachos Scythas Eutylichiana Hæresi non fuisse infectos, eosque in sensu Catholico asseruisse, unum de Sancta Trinitate esse passum.

D. Possimus ne probare adversus Hæreticos nostri temporis, ea fidei dogmata, quæ nunc tenet Sancta Mater Ecclesia Catholica, & quæ ab ipsis reprobantur, fuisse in quinto sæculo a fidelibus recepta, atque Conciliorum, & Sanctorum Patrum consensione firmata?

M. Proclive esset demonstrare, Christianos quinti Ecclesiæ sæculi firma fide omnia illa credidisse dogmata, quæ nunc Sancta Romana Ecclesia avitæ traditionis pervigil custos tenet, & Catholicis credenda proponit. Verum, quia doctissimi viri *Bellarminus*, *Perranius*, *Coesetæus*, *Vvalamburgenses*, alique egregie hac Provincia contra Hæreticos nostri temporis jam defuncti sunt, duo dumtaxat hic obiter observabo, quæ ad stabilendam Catholicæ Fidei veritatem plurimum conducere possunt. Primo, constat, *Socinianos* hujus ætatis Hæreticos, qui peccatum Originale ab Adamo in omnes illius posteros propagatum esse præfracte negant, fuisse in Pelagio a Sanctis Patribus, & a Conciliis in quinto sæculo habitis, prædaminatos. Nam statim ac falsum istud dogma, quo Pelagius Peccatum Originalem, & illius ad omnes Adam posteros transfusionem negabat, apertam in lucem erupit, Ecclesiastici Doctores, & Episcopi illud palam impugnarunt, Ecclesia execrata est, anathemate confixit, & Pelagianos ubique damnavit. Secundo, Hæretici Lutherani, & Calvinistæ, qui Sacrarum Reliquiarum venerationem, cultum, qui Sanctis defertur, eorumque invocationem negant, qui etiam Cœlibatum, Virginitatem, Monasticum Ordinem cane pejus & angue, averfantur, velint nolint, fateri coguntur, hæc falsa dogmata, quæ ipsi tam acriter contra Ecclesiam Romanam propugnant, fuisse a Patribus quinti Ecclesiæ sæculi in *Vigilanti* Hæretico proscripta, & ab omnibus fidelibus rejecta. Inane autem est, & oppido falsum, quod dicitant moderni illi Hæretici, videlicet hujus doctrinæ de Peccato Originali, de Veneratione Reliquiarum, de Cultu Sanctorum &c. nullum in tribus prioribus Ecclesiæ sæculis extare vestigium, eamque dumtaxat fuisse invecam a Doctoribus & Episcopis quarti vel quinti Ecclesiæ sæculi. Id, inquam, tam falsum est, quam quod maxime. Nam, præterquam quod Patres quinti Ecclesiæ sæculi ad confutandos istos Pelagii, & *Vigilanti* errores, quos nostri temporis Hæretici postliminio revocaverunt, usi sunt Scriptura Sacra, & Sanctorum Patrum traditione a temporibus Apostolorum ad suam usque ætatem constanter firmata; incredibile omnino est, Christianos omnes, Doctores Ecclesiasticos, Monachos, & Episcopos, quos quintum Ecclesiæ sæculum plurimos, eosque doctrina & pietate præstantissimos protulit, nescivisse quænam fuisset priorum Ecclesiæ sæculorum fides? novam & peregrinam induxisse doctrinam, Scripturam Sacram alio sensu intellexisse, vel eos scientes ac volentes a fide majorum suorum descivisse, nemine interim reclamante, immo, cunctis vel consentientibus, & applaudentibus, vel profundo lethargo somno oppressis; & adversus Novatores nequidem mutire audentibus. Id porro abhorret ab omni veri specie, & injuriam irrogat Christo Servatori nostro,

nostro, qui promisit, Spiritum Sanctum nunquam defuturum Ecclesiæ. Cum igitur errores, quos Sociniani, Lutherani, & Calvinistæ tanto ardore propugnant, fuerint jam in Pelagio, & in *Vigilanti* damnati in quinto sæculo, jure optimo Ecclesia Romana hæc vividas Tertulliani lib. de præscript. Hæreticorum cap. 27. interrogationes in istos, & in alios hujus futuri Hæreticos intorquere potest: *Qui estis vos? quando, & unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion (Sociniane, Lutherane, Calvinistæ) jure sylvam meam ceditis? qualicentia fontes meos transvertitis? qua potestate limites meos commovetis? mea est possessio, quid hic ceteri ad vestram voluntatem seminatis, & pascitis? mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum Hæres Apostolorum, sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commisserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe exheredaverunt semper, & abdicaverunt ut extraneos, & inimicos.*

D. Doctrina Patrum quinti Ecclesiæ sæculi; præsertim Hieronymi, Augustini, & Chryostomi, est ne ita ab omni navo immunis, ut nullus illis Patribus inter subscribendum obrepserit error, a quo cavere debeamus.

M. Plurimos in libris Sanctorum Patrum Hieronymi, Augustini, & Chryostomi, navos, & erroresque notat, & carpit in suo libro de *Verbo Patrum Usu* *Dallæus* Pseudo-Minister Calvinistæ tetricus sane homo, & superciliosus Censor Sanctorum Patrum, quorum mensuras sensuum, pondera locutionum, nervos questionum, & fere verborum, ac syllabarum apices infidiose excusat, & ventilavit; magnum lucrum reputans si Ecclesiæ Catholicae luminibus navorum maculas, & errorum caliginem affingere posset. Qua in re *Dallæus* securus est Pseudo-Magistrum suum *Calvinum*, qui apud Regem Galliarum *Franciscum I.* ut Lutheranorum impudentiam excusaret, Catholicorum innocentiam traduxit. Cum enim Lutherani verissime ac gravissime objiceretur, quod Patrum essent contemptores, & adversarii: multa, ait *Calvinus*, ignorarunt Sancti illi viri, sepe inter se conflictantur, interdum etiam secum ipsi pugnant. Tum deinceps, quotquot Patrum errores colligere potuit, falso etiam illis affictos, enumerat, quarritque, *cur nos item a Patribus discedamus?* Sed *Calvino* Catholici Doctores responderunt. Primo, nos in iis, quæ ad ipsa fidei pertinent fundamenta, a Patribus non discedere, sed tantum in iis, quibus Patres salva fidei compage non consonant. Responderunt secundo, nonnullos quidem navos reperiri in Operibus Sanctorum Patrum, qui tamen leviores sunt, quam ut illorum Auctoritatem elevare vel labefactare possint. Catholici igitur reverenter ac modeste oculos ab illis Patrum navis avertunt, tantum abest ut imitentur Hæreticos, qui Sanctos Patres aut irridendos, aut certe despiciendos propinant, quique, ut eleganter ait *Vincentius Lirinensis*, *Sancti cujusque viri memoriam, tanquam sepultos jam cineres, prophana manu ventilant, & quæ silentio operire oportebat, rediviva opinione diffamant; sequentes omni-*

*no vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe non modo operire neglexit, verum quoque irridendam ceteris enunciarit. Longe aliter fratres illi sui, qui nuditatem ipsam reverenter Patris sui nec temerare oculis, nec alienis patere voluerunt, sed averfi, ut scribitur, texerunt eum. Quod est erratum Sancti viri nec approbasse, nec prodidisse. Sed nunc breviter examinemus; an revera in Operibus Sanctorum Patrum Augustini, Hieronymi, & Chryostomi reperiantur navis seu errores, qui in rebus fidei eorum auctoritatem deprimere possint, sicut allatrat *Dallæus*. In primis, Sanctus Augustinus videtur quidem in eam propendere sententiam, quæ animas ex traduce, seu per propagationem produci tenebat. At in hoc non erravit Augustinus, quia tum temporis nec error, nec hæresis erat id asserere, sed in varias hæc de re sententias, salva & inculpata fide, abibant Catholici, & integrum unicuique erat in suo sensu abundare. Secundo sanctus Augustinus Dæmonibus tribuit corpora. Sed eidem opinioni multi antiqui Patres citra ullum fidei dispendium suffragati sunt. Immo non desunt etiamnum multi gravissimi Theologi, qui docent, omnimodam Angelorum incorporeitatem esse quidem sanæ Theologiæ dogma, a quo nemo absque temeritate in præsentia recedere potest, ab Ecclesia tamen necdum esse definitum ut fidei dogma. Tertio, *Antipodas* existere negavit Augustinus, sed in hac quæstione meri facti, cujus nullum in libris sive sacris, sive prophanis extat vestigium, & cujus certa notitia dumtaxat ex navigationibus, ac relationibus postremis hæcæ temporibus haberi cœpit, errasse Augustinum, quid mirum? Denique, Sancto Augustino crimini datur, quod doceat, Infantes absque Baptismo decedentes non solum pœna damni, seu privatione visionis beatificæ, sed etiam pœna sensus, seu æterni ignis tormento puniri. Verum, tantum abest, ut hæc sententia erroris insimulari debeat, ut potius Cardinalis *Norifus* in suis *Vindictis Augustinianis* omni argumentorum genere evincat, hanc opinionem traditioni Patrum, & definitionibus Conciliorum esse magis consentaneam, solidioribus fultam rationibus, & ad doctrinam de Peccato Originali contra Pelagianorum errorem propugnandam magis appositam. Consule itaque doctissimum illum Cardinalem, qui data opera Sanctum Augustinum vindicavit ab omnibus navis, & erroribus, quos non solum Hæretici, sed etiam invidi obretractores suis privatorum commodorum præjudiciis obcæcati falso ei impeerunt, misero tamen & irrita successu.*

Quantum attinet ad Opera Sancti Hieronymi, qui, teste Sancto Augustino lib. 1. contra *Julianum* cap. 7. *ab Oriente usque in Occidentem ad instar lampadis resplenduit*, nihil plane in his occurrit, quod censura aliqua perstringi possit, sicut *P. Martianeus* Congregationis Sancti Mauri Benedictinus, alique doctissimi viri aperte demonstrant contra *Dallæum* Calvinianæ superstitionis Ministrum. Propugnavit quidem Hieronymus legalia Sacramenta, Mo-

saicaque Legis ritus mortiferos esse coepisse statim a Passione Christi Domini, & Apostolos simulatione quadam caeremonias illas legales observasse, adeoque Sanctum Petrum sincere & ex animo non fuisse reprehensum a Sancto Paulo. Sed hanc sententiam postea abiecit Sanctus ille Doctor, cessitque tandem rationibus Sancti Augustini, quicum hac de re literariam concertationem habuit Hieronymus, de cujus doctrina plura non dicam, maxime cum jam citatus P. Martianus in sua nova Operum S. Hieronymi Editione Sanctissimum illum Doctorem vindicet ab illis erroribus, quos ipsi temere impigit *Dalleus* perfricta frontis audacia asserens, Sanctum Hieronymum Origenis de damnatorum purgatione & salute delirium securum. Secundo, impropert huic Sancto Doctore, quod secundas nuptias rebus turpibus, & foedis accenseat, & Digamos eodem loco habeat quo Scortatores. Tertio, affirmat, S. Hieronymum favisse Aeriano dogmati, quo Episcopum inter & Presbyterum aequalitas summa constituitur. Ab his, & aliis erroribus, quos *Dalleus* impigit S. Hieronymo, prorsus alienum fuisse Sanctum illum Doctorem demonstrat non solum *Martianus*, sed etiam noster *Natalis Alexander* in Panoplia adversus Hareses secundi saeculi, Dissertatione XVIII. art. 1. in Panoplia adversus Hareses tertii saeculi art. 2. in singulari Dissertatione, quam edidit contra *Blondellum* Haereticum Calvinistam ad probandum Episcopos esse de jure divino Presbyteris Superiores, & ab hoc fidei dogmate nunquam recessisse Sanctum Hieronymum; denique in articulo trigesimo primo capitis sexti Historiae Ecclesiasticae quarti saeculi. Haec loca, si consulas, egregiam pro S. Hieronymo Apologiam adversus Haereticos concinnare poteris.

Denique, accusatur S. Chrysostomus, quod Confessionis Sacramentalis usum susulerit, Peccati Originalis propagationem & intuitivae Visionis Dei possibilitatem negaverit, & gratiae interioris praeventis ad initium fidei, & bonorum operum necessitatem non admiserit. Sed Sanctum Chrysostomum ab his erroribus facili negotio purgant Catholici Doctores, qui tamen post Sanctum Thomam 3. p. 2. q. 27. art. 4. ad 3. in hoc uno solo Sanctum Chrysostomum excessisse dicunt, quod senserit, Beatam Mariam Virginem ex vana gloria peccasse venialiter, dum in nuptiis factis in Cana Galilaeae dixit filio suo: *Vinum non habent*. Legis articulum XXIX. Capitis sexti Historiae Ecclesiasticae quarti saeculi *Natalis Alexandri*, ubi disertè probat, S. Chrysostomum intuitivae Visionis Dei possibilitatem, & gratiae interioris praeventis ad initium fidei & bonorum operum necessitatem admisisse. Singularem etiam Dissertationem edidit idem Scriptor de Confessione Sacramentali contra Heterodoxos, in qua Sanctum Chrysostomum Confessionis Sacramentalis usum nunquam susulisse, vel ejus necessitatem negasse validis argumentis ostendit. Postremo, in Panoplia adversus Hareses quinti saeculi disputans idem auctor contra Pelagianos, omnia Sancti Chrysostomi testimonia, quae Haeretici *Socijani* contra Peccati Originalis propagationem ob-

jectare solent, ex eorum manibus avellit, & Sanctum Chrysostomum doctrinae Ecclesiae de Peccato Originali, & de ejus ad omnes Adami posteriores propagatione semper adhaesisse luculenter evincit. Digitum ad fontem intendisse sufficiat. Nec enim patitur suscepti hujus Operis brevitatis, ut vindicias adornem Sancti Chrysostomi, & aliorum SS. Patrum, ad quos dehonestandos *Dalleus*, alique hujus furfuris Heterodoxi nihil non perentandum, faciendum, fingendum, inveniendum, efficiendumve putarunt. Quod sane nemini mirum videri debet, quia, ut vulgo dicitur, *agnoscunt lupi canes, & eos odio prosequuntur, quia illos timent*. Nos vero cum Vincentio Litinensi existimamus, necesse esse omnibus Catholicis, qui sese Ecclesiae legitimos filios probare student, ut Sanctorum Patrum fidei inhareant, adglutinentur, immoriantur: Prophanas vero novitates detestentur, horrescant, persequantur. Id quippe proprium est Christianae modestiae ac gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare. Ducatum siquidem nobis praebet Religio, non nos Religioni. Nec Majorum sententia, qua volumus, trahemus, sed potius qua illa trahunt, retrahuntque, sequemur.

D. Doctrinam quinti saeculi satis nunc perispectam habeo. Age ergo, paululum modo expendamus ea, quae ad Politiam, & Disciplinam Ecclesiasticam ejusdem saeculi spectant.

M. Eadem plane Disciplina Ecclesiastica, quae in quarto vigeat saeculo, fuit accurate itidem observata in quinto Ecclesiae saeculo, sive in his, quae pertinent ad Sacramentorum administrationem, sive in his, quae spectant regulas morum & observationem Canonum, qui ad praefigendum tempus, modumque peragenda poenitentiae antiquitus fuerunt statuti. In his itaque cum nihil omnino in quinto Ecclesiae saeculo immutata sit Ecclesiae Disciplina, supervacaneum esset hic repetere, quae jam diximus de Disciplina quarti saeculi. His ergo praetermissis, pauca tantum dicam de Politia, & Disciplina, quae erga Episcopos, Clericos, & Monachos fuit in quinto Ecclesiae saeculo observata.

D. Incipe, quæso, a Politia, & Disciplina, quae erga Episcopos, & Clericos in quinto Ecclesiae saeculo fuit observata.

M. In primis, Episcopi consensu & votis Clericorum, testimonio plebis, & suffragiis Episcoporum Comprovincialium eligebantur, & e Clero Ecclesiae vacantis assumebantur. Quando tamen nullus Ecclesiae vacantis Clericus dignus erat, qui Episcopus ordinaretur, licitum tunc erat alterum ex altera Ecclesia accersere Clericum, eumque eligere Episcopum, qui tamen consecrari haud poterat absque Metropolitanis notitia, consensu, & judicio: Antequam aliquis in Episcopum eligeretur, vel consecraretur, accurate examinari debebat, an esset prudens, docilis & moribus temperatus? an in vita castus, in victu sobrius, humilis, affabilis & misericors? an suis semper negotiis, & officiis intentus, & rebus saeculi liber? an in Lege Domini esset versatus, in Scripturarum sensibus cautus, in dogmatibus Ecclesiae exercita-

tus,

tus, & fidei documenta verbis simplicibus, & ad fidelium captum accommodatis, enunciare posset? Episcopatus ambitum ac desiderium illicitum esse censebant Patres quinti Ecclesiae saeculi, nec migrationes & translationes Episcoporum de uno Episcopatu ad alterum patiebantur, nisi Ecclesiae auctoritate, & propter ejus bonum atque utilitatem fierent. Episcoporum a suis Ecclesiis absentiam (nisi hac necessaria servitute, seu Ecclesiae utilitatis procuranda gratia, contingeret) non permittebat quinti Ecclesiae saeculi Disciplina. At poterant Episcopi, gravi urgente causa sese Episcopali dignitate abdicare, ut patet exemplo Sancti Gregorii Nazianzeni, qui pro bono Ecclesiasticae pacis, cujus cupidissimus erat, Constantinopolitano cessit Episcopatu, Patribus Synodi Constantinopolitanae dicens: *Si propter me orta est haec tempestas, mittite me in mare*. Haec autem abdicationis, seu cessionis causa debebat, ut mox dixi, esse gravis, alioquin non licebat ob quascunque difficultates in regimine populorum emergentes Episcopatu cedere, & a suscepto labore recedere, quia, ut ait Sanctus Leo Papa in Epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum, *est periculosum sit navim inter fluctus caute non regere, multo periculosius est eam undis inanescentibus fluctuantem in tempestate relinquere*. Quamvis in quinto Ecclesiae saeculo Canonibus esset prohibitum, ne Episcopi sibi successores eligerent, idque ab Ecclesiae moribus fuerit semper alienum, nihilominus, postulante Ecclesiae bono, Sanctissimi Antistites, Clero & plebe, vel Comprovincialibus Episcopis consentientibus, successores suos designarunt, aut adjuutores cum spe futurae successionis sibi adsciverunt. Sic *Valerius* Episcopus Hipponensis senio & laboribus fractus Sanctum Augustinum coadjutorem assumpsit, & Hipponensem Episcopum ordinari curavit, ut una secum Hipponensem regeret Ecclesiam. Sic etiam Sanctus Augustinus *Eradium* suum successorem designavit, & Clero, populoque Hipponensi consentiente, eidem munia Ecclesiastica obeundi Provinciam demandavit, ea tamen lege, ut non nisi post ipsius obitum ordinaretur Episcopus. Bona Ecclesiae quatuor in partes erant distributa in Ecclesia Occidentali, quarum una Episcopo; altera Clericis; tertia Templorum restorationi; quarta pauperum sustentationi cedebat; Episcopi, & Clerici bonorum Ecclesiasticorum se non Dominos, sed dispensatores tantum, Aedonoms, & administratores existimabant. Quam in rem luculenter ait Sanctus Augustinus in Epistola L. ad Bonifacium Papam data: *Si autem quae nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*. Fidelium lites Episcopi dirimebant, & tam sibi, quam suis Clericis de caducis ac temporaneis bonis litigare maximo ignominia loco ducebant. Episcopis prohibitum erat Gentilium libros legere, gubernationem Viduarum, Pupillarum & Peregrinorum per se ipsos agere, tuitionem testamentorum suscipere, rei familiaris curam ad se revocare, sine consilio suorum Clericorum, & Civium testimonio Clericos ordinare, bona Ecclesiae ven-

dere, vel alienare. Demum Episcopi vilem suppellestem, & mensam pauperem habere, suaeque dignitatis auctoritatem non fastu, & numero satellicio, non Beneficiorum pluralitate, sed Fide, vitaeque meritis, juxta sacros Canones, quaerere debebant. Haec est Disciplina, quam Episcopi quinti Ecclesiae saeculi ad amissim sacratissimorum Canonum observabant. Eadem cura, ac sollicitudine Ecclesia in quinto saeculo ad bene informandos Clericorum mores sanctissimas Leges condidit, quibus Clericis vetitum erat, ne barbam aut comam nutrent, ne vestibus aut calceamentis decorem quaerent, vel affectarent, ne cum extraneis mulieribus habitarent, ne per plateas (nisi certa & maxima sui officii necessitate) ambularent, ne turpia & scurrilia verba proferrent, ne simonia, & usurae vitii sese implicarent, sed potius satagerent, ut professionem suam & in habitu, & in incessu suo probarent, sibi que victum & vestitum aliquo artificioso, vel agricultura, absque tamen officii sui detrimento, studiose pararent. Legi potest praesertim super hac re Concilium Carthaginense quartum Idibus mensis Novembris anni cccxcviii. Honorio Augusto IV. & Eutyriano VI. Coss. celebratum, quod vere totius Ecclesiasticae Disciplinae Emporium appellari potest, cum in eo editi fuerint centum & quatuor Canones, quibus Disciplina Ecclesiasticae optime fuit consultum atque provisum. Non me fugit, quosdam esse Criticos, qui istud Concilium quartum Carthaginense supposititium esse censent eo potissimum nomine, quod nullibi apud antiquiores Latinos, nec ab Auctore Concilii vulgo *Africanis* appellati, nec a *Ferrando*, & *Dionysio*, nec ab iis, qui Codicem Canonum Ecclesiae Africanae in graecum transtulerunt, ulla sit mentio de Canonibus centum & quatuor, qui eidem Concilio adscribuntur. At istud Concilium IV. Carthaginense genuinum esse, invicte probant *Petrus de Marca* in Veter. Collect. Canonum, Card. *Perromius* in responsione ad Regem Angliae cap. 48. & *Schestratus* in Dissertatione tertia de Ecclesia Africana cap. 8. ubi plerisque istius Concilii Canones, explicat, Notisque suis illustrat. (a)

„ (a) De Concilio Carthaginensi an. 398. ac
„ de canonibus illi adscriptis varii varia senserunt;
„ placet sententia Ballerinorum, qui in dissert.
„ De collectionibus canonum praemissa tomo III.
„ editionis ab illis adornatae operum S. Leonis Ma-
„ gni pag. xxxviii., censent, nec canones 104.
„ Concilio huic adscriptos in collectionibus, adscri-
„ bendo omnes alicui singulari concilio, nec om-
„ nnes in Africa conditos. Non cuipiam concilio,
„ quia in nonnullis vetustissimis codicibus,
„ praesertim Gallicanis, teste Sirmondo, hunc titulum
„ praesertim: *Statuta Ecclesiae antiquae*; Italicae
„ collectiones omnes ab iisdem Ballerinis
„ consultae habent: *Statuta antiquae Orientis*,
„ ut etiam legit Atto Vercellensis saeculi x. scrip-
„ tor in suo codice. Non vero omnes sunt ex
„ Africanis Conciliis, cum in quopiam ex his cano-
„ nibus *Metropolitani* commemorentur contra
„ morem Africanorum Patrum, qui pro eo nomine
„ efferunt; *Prima Sedis Episcopus*, vel *Primas*,

D. 4

mas,